quos tres fabulae Plutus, Nubes, Ranae (45—105) excipiunt. Schedae 106 priorem paginam Equitum argumentum et primi quinque ipsius fabulae versus occupant, in altera autem pagina versus Tzetziani leguntur, quibus argumentum Auium contineatur, praemissis aliis quibusdam, quorum hoc est initium: ὅρνιθες δρᾶμα κωμικὸν Ἀριστοφάνους· γραμματικὸς *Βυζάντιος*, οὗτος, οὗτος Ἀριστοφάνης ἔγραψε τὴν ὑπόθεσιν, ἡ κεῖται τῷ βιβλίῳ Τζέτζης τὸ δρᾶμα τοῦτο δὲ θειάζει καὶ ἔξαιρει, ὡς *Ανοιστράτην*, *Ἀχαρνεῖς*, *Εἰρήνην* τε καὶ ἄλλα. Scheda 107 saec. XV scriptura vacat: 108 r. in secundo Auium versu desnit; reliqua enim ista argumenti descriptio occupat: 108 u. commentariolos grammaticos continet. Quae quidem omnia ita, ut in codice perscripta sunt, apposui, ut in reliquias quoque, aut in plures certe quam in tres illas, a Tzetza scholia fuisse composita intelligatur: immo uix dubito quin in ipso codice, e quo Ambrosianus descriptus est, aut omnes aut plures fabulae extiterint, e quibus librarius, complurium poetarum carmina compositurus, eas quae maxime celebratae erant de-

\*) ἀποδρεπέσθεσαν cod. An voluerit ἀποδρεπέσθωσαν?

prompserit. Et extant fortasse Auium scholia in codice Urbinate 141, quo usus est Kusterus (cf. eius praef. in Aristoph.). Neque enim erat, cur Otto Schneiderus de vett. in Aristoph. scholl. font., qui suo quidem iure, ut tunc res erat, Tzetzam omnibus Aristophanis fabulis operam dedisse negavit, ad solam Plutum huius codicis inscriptionem revocaret. Hunc autem Aristophanis commentatorem Ioannem fuisse, quoniam fuerunt qui de Isaaco fratre cogitarent, nunc ipsa illa, quae dubitatem moverat, de Homeri carminibus fabella ab Ioanne in Exgesi Iliadis p. 45 et 125 ed. Herm. prolata, hic vero (I, 5 ὡς ἄρτι ποτέ etc.) ab ipso correcta firmatur. Ceterum de ipsis scholiis rectissime iudicavit Kusterus, *ea quae in iis legerentur maxima ex parte in editis ad Aristophanem scholiis αὐτολεξεὶ quoque occurrere*. Nam si convicia quaedam et vanas iactationes, quibus egregie gaudet ineplissimus homo, resecueris, ita omnino cum scholiis a Kustero editis consentiunt Ambrosiana, ut pauca, quae novi aliquid contineant, inuenerim, antiquiores autem auctores praeter veterum commentatorum, qui *οἱ παλαιοὶ σχολιογράφοι* vel *οἱ παλαιοὶ* dici solent, rarissime in auxilium vocati esse videantur.

Sed ut ad id quod propositum est redeam, duo vides esse prooemia, quae cum non tam re, quam verbis distent, tamen vix vereor, ne quis ex uno Tzetzae prooemio alterum ab altero homine diverso modo concinnatum, et a tertio quodam, qui nonnihil interesse inter priorem et secundam formam intellexisset, ultrumque coniunctum positum esse existimet. Primum enim tam genuinum Tzetziani sermonis colorem prae se ferunt, ut excerptis ex antiquiore commentario manum, qua multa, velut ea quae de Aristotelis discipulis deque Heliodoro et tragicorum poetarum interpretibus scripta sunt et scholia inepta in ineplos ipsius auctoris versiculos composita, aut omissa esse aut mutata expectaveris, alterulrum passum esse mihi non possum persuadere. Deinde in summa argumenti similitudine non solum quaedam ultrumque sibi propria habet, ut in altero est grammaticorum antiquorum memoria et de Susarione historiola,

in altero de satyrorum fabula et de scenae ornamentis disputatio, sed etiam in iis quae utrique communia sunt tanta verborum diversitas est, velut in ipso exordio de Ptolemaeorum bibliotheca, ut haec omnia ex uno quodam commentario deducta esse minime probabile sit. Quo fit, ut ipsum Tzetzam alio tempore aliter scholiis suis praefatum esse credam: e quibus praefationibus cum priorem posuisset librarius, postea alteram, quam in summa rerum intellexit praestantiorum esse, subiecit. Atque in simili argomento saepius se versatum esse ipse indicat his verbis I, 4: *περὶ ποιητῶν πολλάκις ὑμῖν ἐδιδάξαμεν καὶ περὶ τῆς ἀγοραίας καὶ ἀγνιατίδος κωμῳδίας* sqq.

Itaque cum duos habeamus Tzetzae commentarios, quorum summa est et cum iis quae e codice Parisino edidit Cramerus Anecd. Paris. I p. 3 sqq., repetit Meinekius fragm. com. graec. II p. 1234 sqq., et in aliqua parte cum scholio Plautino a Ritschelio edito similitudo, quaeritur, quo haec tria vinculo inter se conlineantur. Nam cum post editum Parisinum *περὶ κωμῳδίας* grammaticum magna inter viros doctos nata sit dissensio, aliis ex illo ipso Plautinum scholium ductum esse confidenter affirmantibus, aliis e communi utrumque fonte derivatum, maiorem autem Plautini scholii fidem esse aientibus: a qua quidem lite excusatio nobis petenda est, si in simili argomento diutius, quam pro rerum exilitate parerat, versati esse videbimus: haec omnia iam facilius e codice Ambrosiano iudicalum iri speramus.

Atque de Parisino quidem grammatico difficilior quaestio. Nam si recte modo argumentati esse putabimur, erunt fortasse, qui tertiam Tzetzae praefationem illa disputatione contineri dicant. Cui sententiae praesidium peti potest cum ex iis Ambrosiani codicis verbis, quae in nostram partem modo interpretati sumus (quibus de forensi comoedia, id quod ab initio Parisini commentarii fieri videmus, alio tempore se exposuisse indicat scriptor) tum ex his Parisini grammatici verbis p. 1235 Mein. γέγονε δὲ τῆς μὲν πρώτης κωμῳ-

*δίας ἄριστος τεχνίτης οὗτός τε Ἀριστοφάνης καὶ Εὔπολις καὶ Κρατῆρος*, quae ad praefationem Aristophanis haec pertinere certo indicant. Accedit praeterea, quod Heliodori de Homero atque Pisistrato ineptias, quibus antea se in errorem inductum esse fatetur Tzetza, hic tanquam vera narratas esse videmus. At vero obstat Ambrosianorum prooemiorum comparatio, quorum utrumque in aliqua rerum quae narrantur diversitate tamen eundem sequitur argumenti tenorem, ut initio a Ptolemaei curis facto per adumbratas comoediae aetates ad definiendas fabularum partes decurrat, cum in Parisino commentario primis capitibus ordo turbatus sit. Obstat deinde, quod nihil istarum adhortationum, quibus admoneri legentem et scriptoris inuenta venditari videmus, hic legimus. Obstant denique adversariorum sententiae non solum sine ulla refutatione positae, sed etiam ita, ut ne a Tzetza quidem expectari poterat, obtruncatae et inter se commixtae. Quare cum non integrum Tzetzae commentarium, sed excerptum ex hoc a recentiore quodam grammatico nobis oblatum esse appareat: (nam ad Tetzam haec quoque referenda esse, quamvis haesitaret Cramerus Anecd. Oxon. p. 13, post Ambrosiani codicis testimonium nemo negabit:) eo usque progredi non dubito, ut praeter prima capita reliqua omnia aut ex ipso Ambrosiano libro aut ex iisdem certe prolegomenis, quamvis ex alio codice petita fuerint, ducta esse contendam.

Nam si recesseris ab iis, quae ante disputationem de Alexandrinis bibliothecis institutam posita sunt, reliqua ita comparata esse videbis, ut, quemadmodum ex utroque Ambrosiani codicis commentario, aliis omissis, aliis mulatis atque in brevius contractis, conflata sint, facile cognoscas. Initio enim a priore commentario facto mox ubi rem de Ptolemaei studiis hic indicatam potius, quam explicatam vidi breviator, ad alterum pergit. Qua in re quod ipsam illam de Pisistrati curis Homericis fabellam acriter a Tzetza impugnatam temere ascivit, imprudentiae et negligentiae hominis omnino tribendum est cum Ritschelio Corollar. p. 6; praesertim cum admon-

dum probabile sit, omnem hanc de Alexandrinis bibliothecis et de studiis Pisistrateis narrationem, quam in prolegomena Aristophanea delatam esse iure miratus est Ritschelius de schol. Plaut. p. 37, ea sola de causa tam copiose hoc loco a Tzetza expositam esse, ut quavis occasione arrepta Heliodorum, cuius opinione se in errorem inductum esse modo intellexerat, redargueret suumque ipsius errorem corrigeret. Revertitur deinde grammaticus ad priorem praefationem, ut antiquorum interpretum nomina inde transscribat et resectis inanibus verbis, omissis quae antea aliunde petita posuerat, quemadmodum comoedia per tres aetates mutata sit, exponat. Tum vero ex altera parte integrum caput tertium interponit, qua in re non inutile est scire capita et interslitia, quae fecimus, in codice rubris litteris distincta esse. Rursus autem ab eo prioris partis loco, in quo substiterat (I, 5) opere retexto ea quae de Dionysio, Cratete, Euclide scripta invenit non minus, quam ante de Heliodoro fecerat, corruptit, eoque perturbatus ordinem quoque rerum invertit. Ita his ad finem perductis reliqua secundae partis capita, quae satis inepte et ita, ut hominis indolem prorsus pervideas, verbis γένοιτο δρᾶν σαφεστέρα ἡ τῶν τοιούτων διδασκαλία ὥδε πως (p. 1241) annexit, suo modo in usum suum convertit. Nihil in his est, quod dubitationem relinquat, nisi quis forte, ut dicam quod sentio, brevem de comoedia Alcibiadis auctoritate mutata narrationem (p. 1239) aliunde petitam esse dicat, ut de quarto prioris partis capite nihil Parisinus grammaticus attigerit.

Sed ἀπογίαν movent prima codicis Parisini capita, quae in Ambrosiano partim desunt, partim tam diversis verbis, ut hinc petita esse non possint, concepta sunt. Atque illud est, quo intricatiorem hanc rem evadere dixi. Nam cum horum maximus sit et cum aliis nonnullis commentariolis, qui fabulis Aristophaneis in codicibus praesixi sunt, et cum Dionysii Thracis scholiis Bekk. Anecd. p. 747 sq., et vero etiam cum Tzetzae iambis Cram. Anecd. Oxon. III p. 340 sqq. consensus, dici nequit, quae inter has Byzantinorum grammaticorum

scriptiones ratio intercedat. Quanquam quoniam hanc quoque Parisini commentarii partem e prolegomenis Aristophaneis haustam esse vidimus, probabile sane est, aliam quandam Tzetzae scriptionem, quae in historia comoediae indaganda versabatur, sive ab ipso Aristophanis interpretationi praefixam, sive ab alio quodam grammatico in brevius contractam et in hoc loco positam exitisse, e qua non solum haec codicis Parisini pars, sed ea etiam, quae in simili arguento versantia nunc in libris Aristophaneis leguntur, excerpta sint. Ipsum autem Tzetzam scholia Dionysiana secutum esse non sine probabilitate coniecit Ritschelius coroll. p. 17, quanquam praecipuum huius opinionis fundamentum, quod in simili apud ultrumque de Homeri carminibus narratione positum est, evertere conabimur. Nam Parisinum grammaticum a scholiasta Dionysii usurpalum esse, quae fuit Schneidewini sententia Ephem. Gotting. a. 1840 m. Jun. p. 950, minus veri simile est maxime propter verba ante citata γέγονε δὲ τῆς μὲν πρώτης sqq., quae in scholiis Dionysianis p. 749 magis integra habes sic: καὶ τῆς μὲν παλαιᾶς πολλὰ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ Κρατῖνος δ καὶ πραττόμενος· μετέσχον δέ τινος χρόνου τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας Εὔπολις τε καὶ Ἀριστοφάνης.

Haec igitur de Parisino commentario. Ad Plautinum autem scholium iudicandum cum praeter hunc iam bipartita codicis Ambrosiani prolegomena proposita sint, e quibus eius origo investigetur, de illis Parisinis quam incerta res sit, testis est eorum qui de hac re disputaverunt dissensio, nec minus diversa a latinis prior Ambrosianorum pars. Contra altera pars ita cum eo consentit, ut non sit iusta causa, cur hoc esse illud, quod se secutum esse latinus grammaticus fatetur, Caecii commentum negemus. Quanquam enim non ita graeca sequitur, ut verbum verbo reddat, tamen, ne dicam de sententiuarum quam vides aequalitate, nihil est eorum, quae in latinis aliter quam in graecis dicta sunt, quod non possis Italo homini tribuere. Nam ut haec de Ptolemaeo Philadelpho *qui mirum in modum favebat ingenii et famae doctorum hominum*

facile addere poterat, praesertim cum saepius regem ab auctore suo similiter laudatum esse videret, ita propter verba *graecae artis poeticos libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt*, pro quibus in graecis est unum διώρθωσαν vocabulum, non opus est ut de alio fonte, qualem finxit Ritschelius coroll. p. 20, cogitemus. Neque enim mirum, quod Italus, quem excerpisse potius sua e graecis et toto commentario perfectio summam argumenti reddidisse, quam graeca verba transtulisse intelligis, pro διορθοῦν verbo, cuius vim nec intellexerat, nec uno vocabulo reddere poterat, alia substituit, quae cum ἀθροίζειν et συναθροίζειν verbis postea positis, tum his maxime μετὰ βραχὺν τινα χρόνον τῆς συναγωγῆς τῶν βιβλων ὡς ἔφην καὶ διορθώσεως indicata esse videbantur, nisi quod alterum de grammaticis, alterum de rege valere non animadvertit. Ea quae proxime sequuntur, in quibus e corrupto nomine *phizxa*, dummodo certius de codicis scriptura constaret, *praestantiumque faciendum esse coniicias* \*), non habent quo dubitationem moveant. Mox autem de Eratosthene et Callimacho non solum verbis *sicuti refert et fuit praeterea qui idem asseveret adiectis suo arbitrio nexum sententiarum supplevit, sed etiam istum aulicum regium bibliothecarium non dubito quin e graecis νεαρίσκος ὡν τῆς αὐλῆς*, quae sane quid sibi vellent non poterat perspicere, petiverit. Admodum contraxit librorum barbarorum et curae Pisistrateae memoriam, ita tamen, ut quomodo graecum scriptorem per singula sequatur, bene perspicias. Denique quae Heliodori fabella relata et argumentis quibus a Tzetza impugnata erat indicatis in fine annotationis de Aristarchi aetate posuit, non corrupta illa quidem, sed e graecis verbis τετάρτῳ η πέμπτῳ ἀπὸ Ζηνοδότου τελοῦντι male ab Italo intellectis profecta esse vides.

\*) Quod Bernhardyus in egregia censura libri Ritscheliani Annal. crit. Berol. a. 1838 m. Decemb. p. 828 coniecit et *LXX*, quamvis in eo verissimum, quod sequentem vocem *senum* non mutavit, non probabile esse nunc facile est intellectu. Ritschelii autem conjectura *prehensa secum* (de schol. Plaut. p. 16, ipsi improbata coroll. p. 52) sola litterarum similitudine commendatur. [per alexandriam in compendio illo latere coniecit Eugenius Mehlerus Asciburgensis.]

Itaque cum alium habeamus graecum commentarium aliquanto propius quam illum Parisinum ad latinum accedentem, quem in Plautino scholio expressum esse probabile sit\*), ecquis est, qui Parisinum potius ex Ambrosiano excerptum ei praesto fuisse contendat? Imo sua quiske ratione Tzetzianis copiis usus est; qua in re cum maiorem fidem is expetat, qui graeca graece reddidit, at latinus accuratius auctoris sui vestigia pressit. Quo fit ut rem universam iudicanti optime fecisse videri debeat Ritschelius, quod quamvis acriter impugnatus Plautini scholii auctoritatem fortiter defendit eique propter illa Parisina quidem, dum uliusque origo inuestigetur, fidem detrahendam esse negavit. Contra nunc etiam alium fontem circumspiciendum esse nego. Nam id omnino hac disputatione efficere volui, ut nec Parisinum commentarium nec scholium Plautinum iam sequendum, sed ad sola Tzetzae prolegomena e codice Ambrosiano edita, utpote genuinum illorum fontem, recurrentum esse ostenderem. Nam ut paucis comprehendendam quod dixi, ita prorsus sentio, Parisini *περὶ κωμῳδίας* commentarii auctorem praeter prima capita, ex aliis quibusdam prolegomenis Aristophaneis petita, priore Ambrosiani codicis parte cum altera conglutinata negligentissime rem suam gessisse, scholiastam Plautinum autem alteram partem, eamque in iis quae inde petivit multo et copiosiorem et praestantiorum, seculum esse, nonnulla autem, quae non satis intellexerat, suo arbitrio mutasse.

Restabunt nunc duae commentationis nostrae partes, altera ut quae sit Tzetzae in iis quae tradit auctoritas examinetur, id quod iure Bernhardyus l. c. p. 824 de homine satis

\* ) Collegii Romani codices, in quibus est Plantinus liber, e quo Ritschelius illud scholium descriptis, magnam partem ex aliis Iesuitarum collegiis, et multi quidem e superiore Italia Romam allati sunt. Quare si de patria et origine Plantini codicis certiores fieri possemus, id quod per eorum, qui illi bibliothecae praesunt, invidiam fieri nequit, inde fortasse cum quadam probabilitate colligeretur, Itolum, qui scholia in eo scripta composuit, ipsum Ambrosianum codicem ex superiore Italia, ut videtur, postquam e Graecia advectus est, nunquam delatum oculis usurpasse.

suspecto desideravit, altera ut numquid novi ex fontis, ad quem iam revocali sumus, integritate erui possit quaeratur. E quibus cum illud quod ad testimoniorum auctoritatem pertinet partim ex universa Tzetzae fide, omnibus nec sane im-merito reprehensa, sed a nemine unquam accuratius examinata, partim e fontibus, quibus in hac narratione usus erat, iudican-dum sit, prior locus, nisi argumenti amplitudo deterreret, vel ea de causa nunc omittendus erat, quod rei materiam mox novo libro e Vaticano codice edendo auctum iri accepimus.

De auctoribus autem, a quibus ea quae narrat petiverit, aliquam certe partem e bono et antiquo fonte derivatam esse, tum propter certam et a fabulosa inventione alienam narratio-nis naturam, tum propter idoneam singularum rerum inter se congruentiam communis erat omnium post editum Plautinum scholium sententia. Quae bona opinio quanquam graecis ver-bis in aliis fortasse minuitur, ut fieri solet in hoc genere, si universam testimoniorum indolem accuratius perspicere licet, augetur tamen in aliis. Antiquos enim auctores omnino ei praesto fuisse, sive integros ipsorum libros legit, sive excerptos ex illis cum nominis indicio commentarios habuit, testes sunt *Dionysii*, *Cratetis*, *Euclidis* atque *Heliodori* no-mina. E quibus *Dionysii* nomen, iam antea simul cum reliquis e Parisino codice proditum, Meinekius fragm. com. graec. II p. 1240 ad Dionysii Halicarnassensis minoris μου-σικῆς ἱστορίας libros XXXVI, de quibus cfr. idem Mein. hist. crit. com. p. 16, rettulit: nec profecto improbabiliter, prae-sertim cum in Tzetzae περὶ διαφορᾶς ποιητῶν versibus, a Cramero Anecd. Oxon. III p. 343 sqq. editis, ad versum 26 τὰ σκηνικὰ γράφοντες ἐμπεφυρμένως in margine codicis Meer-manniani ascripta legantur haec διονύσιος ὁ ἀλικαρνασσεὺς καὶ Στερός κατὰ τὸν τζέτζη. Quanquam, dum de huius notae ori-gine constet, videndum, annon rectius de Dionysio Zopyro cogitaveris: quem criticam artem in Aristophanis fabulis fa-citasse cognovimus e schol. Av. 1297 Dind., ubi si recte emendavit Fabricius bibl. graec. IV, 413 Διονύσιος καὶ Ζώ-

*πνεος*, hunc esse Dionysium Phaselitam, cuius *περὶ τῆς Ἀριτμάχου ποιήσεως* liber in vita Nicandri citatur, coniicias. Quem altero loco posuit *Crate tem* celebrem grammaticum Pergamenum esse, recte censuerunt Meinekius l. c. et Muelle-rus Mus. Rhenan. V. a. 1837 p. 358, minus recte tamen Meinekius fecit, quod ad *ἀναγραφὰς δραματικὰς*, quem librum inter historiae comicorum fontes recenset hist. crit. com. graec. p. 13, eius memoriam referre videtur. Aegre enim adducor ut credam, huiusmodi de tragediae comoediaeque partibus deque nominibus carminum chororum disputationibus, quas et hic et in iambis l. c. eius auctoritati tribuit Tzelza, in tali libro locum fuisse. Frequens autem est eius in scholiis Aristophaneis memoria: cf. Schneider de vet. in Aristoph. schol. font. p. 88. Qui quanquam omnia ex eius de dialecto Attica libro petita existimat, sunt tamen, quae vix possunt nisi e scholiis in poetam conscriptis profecta esse, velut schol. Ran. 296, maxime vero quae schol. Eq. 959 additis verbis *οὗτος δὲ Κράτης* ad eum referuntur. Ita enim non dubitandum quin recte scripserit pro *οὗτῳ Σωκράτῃς* Valckenarius ad Eur. Phoen. 608\*). In his igitur annotationibus Crate tem non minus, quam Dionysium ea quae Tzelza ad eos refert exposuisse arbitror. *Euclidem* denique de simili argumento ab eodem Tzelza Cram. Anecd. Oxon. l. c. impugnatum videmus: non videtur autem diversus esse ab illo quem Homeri scholia Lips. II. A, 5 de versu Homericō disputantem introducunt. Nam ut in Homerī interpretatione versabatur, ita comicis quoque vel tragicis poetis operam dedisse, eaque occasione oblata de partibus fabularum exposuisse videtur: cf. Muell. Mus. Rhen. l. c.

Itaque de his tribus grammaticis cum invenerimus, ad eorum sive in tragicos sive in comicos poetas commentarios sententias e Tzelza improbatas revocari posse, quamvis sciām non temere de annotationum scriptione cogitandum esse, non

\*) Crate tem inter veteres Aristophanis interpretes numerari video a Bernhardyo hist. litt. graec. II, p. 994.

videtur tamen casu factum esse, quod ἐξηγηταὶ καὶ διδάσκαλοι illi dicuntur I, 5. Quod autem *Heliodorum* quoque inter *antiquos*, quibus Tzelza usus fuerit, fontes recensuimus, mirabuntur quibus de Byzantino Heliodoro, Dionysii Thracis scholiasta, persuasit Ritschelius de schol. Plaut. p. 147, coroll. p. 9 sqq. Nam cum Heliodori nomine inscriptam in artem Dionysii annotationem, similem ei, quam sine nomine positam habes apud Bekkerum Anecd. p. 797, videret a Villoisonio Anecd. græc. II p. 123 e codice Marciano prolatam, in alio autem Dionysii scholio Bekk. Anecd. p. 767 et ex eodem Marciano codice Vill. II p. 182 eam quam ad Heliodorum Tzelza refert sententiam expositam animadverteret, hunc Bekkerianum interpretem ipsum Heliodorum eumque cum reliquis Dionysii interpretibus in Byzantinorum grammaticorum numero ponendum esse conclusit. Contra quam ratiocinationem quae Bernhardyus p. 832 sq. monuit, iis post editum græcum commentarium, illa enim de scholio Plautino disputata erant, nullam amplius vim tribuet vir egregius. Sed dubitationem excitat coniuncta antiquorum grammaticorum cum aetatis Tzetziana homine memoria, et augetur magnopere dubitatio eo, quod sub finem prioris prooemii λεξιγράφου Ομηρικοί reprehenduntur: id quod non posse nisi ad Heliodorum pertinere ei, qui verba proxime antecedentia consideraverit, patebit. Revocamur igitur ad Heliodorum γλωσσῶν Ομηρικῶν scriptorem, præsertim cum hunc cum Apione præ ceteris τοὺς γλωσσογράφους dictos esse sciamus: cf. Ritschel. de schol. Plaut. p. 142. At vero bonum et ab ipsius Aristarchi aetate, ut videtur, non ita longe remotum grammaticum, multorum quae Apollonius in lexico Homericō posuit, auctorem, num ineptissima de Pisistrati curis Homericis cum Alexandrinorum studiis commixtis fabula dignum putabimus? Minime id quidem probabile, præsertim cum dubitem, num talis narratio, etiamsi minus inepta fuerit, in glossis Homericis locum habuerit: imo ne id quidem verisimile dicas illum librum ad Tzetzae aetatem propagatum esse. Sed praesto est alia scholiorum Homericorum collectio,

qua Eustathium usum esse novimus, ipsa quoque Heliodori et Apionis nominibus nescio quo casu inscripta, sed a genuinis utriusque grammatici scholiis uno volumine comprehensis, ut docuit Lehrsius de Aristarcho p. 387—392, quaest. epic. p. 2, prorsus diversa. Nam Heliodorum verum nomen esse, quamvis constanter Herodorum Eustathius scribat, persuadent Valkenarius de schol. Hom. opusc. II p. 151 et Ritschelius de schol. Plaut. p. 143 et ind. schol. hibern. Bonnens. a. 1840 p. X. In his autem commentariis etsi multa procul dubio fuerunt, quae ab optimis auctoribus petita erant, quippe quos *in iisdem fundamentis quibus codicem Venetum Iliadis inacidificatos fuisse* idem Lehrsius demonstraverit, quid mirum, si iam incertae aetatis libro, quem aut ab ambiguae fidei homine originem duxisse, aut noviorum grammaticorum manus passum esse ipsa falsa auctorum inscriptio docet, illius historiolae locum fuisse credimus\*). Hunc igitur librum ut Eustathius ad Homerum interpretandum adhibuit, ita Tzelzam quoque, cum exegesin Iliadis scribebat, usurpasse atque ex eo et ad hunc et ad Eustathium praef. II. A. p. 5 et ad Dionysii interpretem istam fabulam propagatam esse arbitramur. Nec vero in eo offendendum est, quod solum Heliodori nomen posuit Tzelza. Similiter enim Eustathius p. 762, 9. et p. 786, 22 (cfr. Lchr. quaest. ep. p. 2) solum Apionem, p. 809, 3 autem τοὺς περὶ Ἡρόδωρον nominavit, cum de eodem libro utriusque nomine inscripto cogitaret. Facile autem propter celebrem antiquioris Heliodori memoriam inter λεξιγράφους hunc quoque interpretem referre potuit.

Sed horum quidem omnium sententias improbat Tzelza:

\*) Paucia sunt, sed certa in iis, quae ex Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου ὑπομνημάτων libro Eustathius afferit, indicia, fuisse in eo, quae non poterant ex Aristonici, Didymi, Nicanoris, Herodiani commentariis peti. Sufficient enim haec tria a Lehrsius indicata: Eustath. in Il. p. 47, 11 sqq., Graecos bis Troiam profectos esse, p. 157, 5 deam Ἄτην a Ioue in montem Trojanum iactam esse, p. 474, 38 que madmodum Nestor aciem instruxerit, Quae cum in rerum materia explicanda versentur, aliunde atque ex illorum commentariis grammaticis dicta esse videntur.

iis autem quae ipse narrat vis quaedam accedit inde, quod antiquorum librorum auctoritatem se seculum esse gloriatur. Etsi enim haec II, 1 ἐκ τῶν κειμένων ἀνθέων τῶν βιβλίων et II, 2 κατὰ τὸν τοῦν τῶν βιβλίων nec per se magni facio et de fabularum potius lectione quam de grammaticorum libris interpretor, tamen, quantum quidem ad primum caput quod est de Ptolemaei Philadelphi bibliotheca et de Homeri carminibus, non centennendum est, quod dicit II, 1 ἐκ τοῦ κειμένου τῆς παλαιᾶς βιβλίου τὸ ἀληθὲς ἀπηρίβωσα, praesertim cum τοὺς παλαιούς et in his prolegomenis et in ipsis scholiis antiquos grammaticos dicere consueverit. Hic autem antiquus liber, cuius se auctoritate niti profitetur, qui fuerit, non est cur vanis coniecturis assequi studeamus. Quanquam de Pisistrati curis non improbabiliter Ritschelius coroll. p. 13 et Nitzschius Melet. de hist. Hom. II, 4 p. 17 ad Asclepiadem Myrleanum (v. Lehrs. analect.) se revocarunt, quem ἐν τῷ ἔκτῳ βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν de Orpheo Crotoniata atque Pisistrato exposuisse ait Suidas v. Ὀψφενός. De Ptolemaeo Philadelpho autem amplam coniiciendi copiam praebent grammaticorum de Museo libri, quos recenset Klippel de Mus. Alex. p. 11—14.

Atque in his quidem iam subsistamus necesse est.

(Continuitur.)